Nobilissimo viro D. Constantino
Hugenio Zulichemi et Zeelhemi Dno &c.
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Zulichemi,

immortales tibi debeo gratias, quod Donativo isti Celsissimi Principis addideris perpetuitatem, et favori erga me maximi Parentis maximi Filij non interruptam beneficentiam. Ego gratissima animi recordatione haec volvo et volvam semper, nec erit dies, quo tantorum in me beneficiorum memoria exolescet. Vtinam petere ausim, ut eius benevolentiae, qua me complexus es semper, radiolo filium meum advocatum facilis contingere digneris. Posses beare virum optimis studijs innutritum et educatum in modestiam et mores honestissimos, si consors fieri posset istius operae, quam subinde Celsissimus Princeps ab Advocatis suis exigit. Petij hoc à Principe. respondit (nec potuit tum aliter) se ea de re cogitaturum propius. Tu quaeso propitiam meam commoda, ut ex asse totus tuus sim. Non poenitebit Te commendationis. Nam si virtus et pro aetate prudentia loqui possent, dicerent eius causam advocatae. Nos hic dolemus obitum Maximi viri P. Hoofdij, quem Achatem à latere et Pyladem desidero, licet Aeneas non sim nec Orestes. Iamiam nuntium affertur de obitu generi Vander Perre, qui Vltraiecti vivere desijt. Ita inter amicorum funera et mortes versamur ut mortalitatis quoque nostrae memores simus. Vale Vir Summe et filios, ubi res feret, à me saluta. Amstel. xxiv May cIↃIↃcXLVII.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 179
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4593

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 179
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4593

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 179
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4593

A Mijn Heer
mijn Heer C. Huygens Ridder
Heer van Zuylichem etc.
Raad en Secretaris van
Sijn Hoocheyt

Hage

port

[illegible]